



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

XXI. De divortiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

can. De eodem xxx, q. 1, & ibi latius Denique quodvis peccatum mortale, quo contrahens, contractus tempore detinetur. Quippe matrimonium Sacramentum est, & idcirco sanctè tractandum,

Concil. Trid. sess. 24, cap. fin. in fine de reform. matrim. De his omnibus plenius apud Navar. in Manuali cap. 22, nu. 74, cum seq. Covarr. d. 6, c. 6, D, Thom. in supplem. qu. 50, cum seqq.

DE DIVORTIIS.

TITULUS XXI.

§. I. Divortium quid, & ex quibus causis permittatur.

Divortium est distractio matrimonii, quæ utroque conjugè vivente fit, l. 2, D. de divort. id quæ ex duabus tantummodò causis intelligi hoc jure nostro Canonico, quo in hac re utimur. Cùm alioqui matrimonii semel legitimè contracti perpetuus & indissolubilis nexus sit, can. Puto, can. Si uxorem, can. Præcepti, c. Præceptum xxxii, qu. 5, can. penult. xxxiii, quæst. 2, cap. Gaudemus 8, c. xxi. De divort. Concil. Trid. sess. 24, in doct. de Sacram. matrim.

§. 2. Per ingressum Religionis matrimonium nondum consummatum solvi: scilicet per susceptionem sacri Ordinis.

Prior causa est: Si alter conjugum nondum consummato matrimonio Religionem ingrediarur, quod ipsi licet per sacros Canones, etiam invito altero conjugè, cap. 1, cap. ex publico 7, Ext. De convers. conjug. Concil. Trid. sess. 24, can. 6, licet divortium sit in susceptione sacri Ordinis, ex declaratione Joannis XXII, unic. De voto in Extravag. Joan. XXII.

Matrimonium dissolvi ab infideli converso potest.

Alterca causa est: Si alter infidelium conjugum (inter quos etiam justum matrimonium constat, sed ut contractus civilis, non ut Sacramentum, d. cap. Gaudemus & ibi Dd.) ad fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente; qui relinquitur, ad secunda vota transire potest, c. Quanto 7, d. c. Gaudemus De divort. can. Si infidelib. c. iij. q. 2, quæst. 1, can. 2, penult. quæst. 2 a

Matrimonium propter consanguinitatem, affinitatem, vel simile impedimentum non dissolvi potest.

Cæterum quod vulgò dici solet, Matrimonium dissolvi vel dirimi, propter consanguinita-

tem, affinitatem, frigiditatem, aut ob similem causam, non tam jus matrimonii respicit, quam factum; cùm matrimonium, in quo subest hujusmodi impedimentum, ipso jure nullum sit. Etenim matrimonium semel legitimè contractum, non nisi ex duabus causis jam dissolvitur, juris jam allegatis.

De separatione tori.

Nonnumquam tori separatio inducitur inter conjuges, durante vinculo matrimonii; quæ & species quædam divortii est, can. 1, xxxii, quæst. 7, utpote, si alter eorum adulterium sive fornicationem admisierit, can. Puto, juncto can. Præcepti c. cap. Præceptum qu. 5, can. Significasti 4, cum cap. seq. Ext. hoc tit. adde quæ de adulterio diximus inf. de adulter. vel si ad hæresim sive gentilismum defecerit, cap. 1, 6, cum cap. seq. Ext. eod. vel si fevencior sit in conjugem suam, cap. Literas in fine Ext. de resit. vel si ad peccatum eam compellat, juxta illud Matthæi cap. 18, Si oculus &c. & ibi Hieron. Bellarm. lib. 1, de Sacram. matrim. cap. 14, Navar. d. cap. 22, nu. 21, Ob furtum vero, vel ob aliud crimen, sive ob morbum, conjuges a se in vicem minimè separantur, d. cap. 1, Ext. hoc tit. can. Horrendus, can. Si uxorem xxxii, q. 5, vide de his latius Covar. in 4. p. 2, cap. 7, §. 1, ubi & de Sodoma vicio, & furore. Navar. in Manuali c. 22, nu. 21, cum seq.

Notatio in Tit. 21.

2 Adde & Pontifici auctoritate matrimonium posse dissolvi, nondum carnis copulâ consummatum, etiam quondam vinculum, juxta Glor. ad cap. Ex publico, Ext. De convers. conjug. quam singularitatem & à Canonistis & à Theologis Canonum peritis receptam, attestatur Navar. in Manuali cap. 12, num. 21, ubi vide cum latius